

Etor, nihil aliud me ea quæſivisse, quam
 ut iudicio de singulis locis recte instituen-
 do & memoriæ in iisdem facilius retinen-
 dis juvandæ discipulis meis inservire pos-
 set; confusio enim erroris & oblivionis
 mater est, quam & Deus ipse averſatur. Ita
 in definitionibus resolvendis Logicos ter-
 minos adhibui ad rectius distinguendum
 & retinendum singulas earum particulas,
 ubi, si non omnia ad Logicam ἀκριβειῶν
 congruent, memineris, fatius esse ut ratio-
 nis illi moduli subjiciantur, & serviant do-
 cumentis Theologiæ, deque suo jure ali-
 quantisper cedant, quam ut his illi impe-
 rent; ideoque si quid ex Logicis termi-
 nis incommode ad myſteriorum divino-
 rum seu deprædationem, seu enervatio-
 nem metuendum videatur, filere illi potius
 jubeantur, quam ut humanæ curiositati pa-
 bulum hic præbeant, quod ad sacrorum
 dogmatum deprædationem illa enutriatur:
 Fas enim est tacere hanc mulierem in Ec-
 clesia, ubi Christus audiendus non huma-
 næ rationis curiositas, ne in profanas vo-
 cum inanitates & contradictiones falso no-
 minatæ scientiæ, atque exinde in depræda-
 tionem fidei & inanem deceptionem,
 quod solícite Christianis cavendum esset,
 monet